



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

30 **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Quantitas non potest separari ab extensione partium, cum ratio essentialis illius sit extensio & divisibilitas: Sed corpus Christi in Eucharistia est sine extensione: Ergo & sine sua quantitate.

31 **R**espondeo duplicem distingui debere in quantitate extensionem, alteram in ordine ad se, alteram in ordine ad locum. Prior consistit in continuatione & extensione partium in se, ut una immediate continetur uni, & mediate cæteris: caput enim immediate continuatur collo, eoque mediante, pectori, cæteri que corporis partibus. Posterior in situatione & extensione partium, in ordine ad spatium, ut una pars corporis correspondeat uni, alia alteri parti spatii. Prior est essentialis, & inseparabilis à quantitate, & in eodem prædicamento cum quantitate. Posterior accidentalis, & separabilis, & in prædicamento sita. Illa est principium & radix hujus, hæc effectus & passio illius; unde potest illa sine hac, non autem hæc sine illa reperiri. Porrit igitur à quantitate corporis Christi separari posterior, manente priori, & consequenter manere effectus formalis prioris extensionis, absque effectu formali posterioris.

32 **C**onfirmatur: Non minùs de ratione quantitatis est, reddere subjectum impenetrabile cum alio corpore, quam loco extensum. Sed potest privari primo, ut constat in Christo ad Discipulos ingresso, januis clausis: Ergo & secundo.

Objicies secundo contra secundam conclusionem. Si totum Christi corpus sit actu sub singulis partibus hostiæ, nondum divisum, erit actu pluries, imò & infinities, sub qualibet hostiæ consecrata, per plures & infinitas actu præsentias totales: Consequens est falsum, imò impossibile, cum infinitum actu dari non possit: Ergo & Antecedens. Sequela Majoris probatur. In qualibet hostiæ sunt plures actu, imò & infinitæ partes proportionales: Ergo si in qualibet earum sit actu totum Christi corpus, sequitur quòd sit pluries, imò & infinities totum in Eucharistia.

33 **R**espondeo negando sequelam Majoris, & distinguendo ejus probationem. In qualibet hostiæ sunt actu plures, imò & infinitæ partes proportionales, singulæ propriam existentiam habentes, & simul numerum simpliciter dictum constituentes, nego Antecedens. Sunt actu infinitæ partes proportionales, unicà existentia existentes, & numerum simpliciter dictum solum in potentia facientes, concedo Antecedens, & nego Consequentiam, Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 1. ubi sic ait: Numerus sequitur divisionem, & idè quoad quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur.

Objicies tertio contra tertiam conclusionem: In iis tantum partibus hostiæ conservatur totus Christus, quæ separatè ipsum totum conservarent: Sed partes separatæ quæ non essent sensibiles, nec formam substantialem panis retinerent, Christum non conservarent: Ergo in illis ut conunctis totus Christus non conservatur.

Respondeo negando Majorem, nam cum Christi

Actus in hoc Sacramento succedat loco panis, in iis partibus specierum succedit, sub quibus conservari potest substantia panis: quamvis tamen illa conservari non possit in partibus separatæ hostiæ, si non essent sensibiles, in illis tamen, ut inter se conjunctis, substantia panis conservari potest. Unde ait Magister Soto in 4. dist. 10. qu. 1. art. 3. *Quamvis separatà minima pars, si illa divideretur, desineret esse corpus, quia desineret species panis: tamen in toto, quia conservatur illæ species, non datur tam parva pars, quin sit pars minor sit corpus.*

BObjicies quarto contra quartam conclusionem: Corpus Christi non est nisi ubi extensio substantia panis: Sed hæc non erat in puncto, quæ erat corporea, ac proinde trinam dimensionem sub qua esset requirebat: Ergo nec corpus Christi. Respondent aliqui in substantia panis, & quælibet alia corporea, dari etiam indivisibilia substantialia, correspondentia indivisibilibus terminantibus quantitatem, sicque corpus Christi esse sub indivisibilibus quantitativis, sub quibus erant indivisibilia substantialia panis: nam hæc in corpore Christi convertita sunt.

CSed melius respondetur, negando Minorem, nam quamvis substantia corporea sit capax trine dimensionis, secundum se tamen, & intra propriam lineam, est indivisibilis, ut fuso & latissimo ostendunt Complutenses in libro de generatione & corruptione, sicque non solum est sub partibus quantitatis, sed etiam sub punctis, & aliis ejus in divisibilibus. Dici etiam potest, juxta aliam sententiam, quæ docet substantiam intra propriam lineam habere partes entitativas & substantiales, hoc inter substantiam panis & corpus Christi reperiri discrimen, quòd substantia panis, est entitativè divisibilis & modo divisibili sub propriis dimensionibus, subindeque incapax existendi sub indivisibilibus quantitativis, corpus autem Christi, licet divisibile, est tamen sub speciebus modo indivisibile, & propterea capax ut sub puncto & aliis indivisibilibus quantitatis existat.

DObjicies quinto: Si totum Christi corpus, in consecratione facta, sit sub quolibet indivisibili hostiæ consecrata, sequitur quòd Sacerdos poterit consecrare solum superficiem, vel solum punctum in aliqua hostiæ, utpote cum punctum ratione lineæ, & linea ratione superficie, & superficie ratione corporis, sit sensibilis, atque adeo designabilis: Sacerdos autem potest consecrare quamlibet partem hostiæ sensibilem, & designabilem, non consecratis aliis Consequens videtur absurdum: Ergo &c.

ERespondetur negando sequelam Majoris, plus enim requiritur ut à principio fiat consecratio, quam ut consecratione facta conservetur corpus Christi, nam ut à principio fiat consecratio, requiritur materia per se sensibilis, punctum autem lineæ, & superficies, non sunt per se sensibiles, sed ut in objectione dicitur, punctum est sensibile solum ratione lineæ, linea ratione superficie, & superficies ratione corporis; unde à principio non potest in eis fieri consecratio, nisi simul in corpore: at verò quando sit in corpore, etiam fit in illis, & consequenter etiam in illis, saltem, ut unitis, conservari potest Christi corpus.

Dices, Esto non possit Sacerdos consecrare solum punctum, vel superficiem hostiæ, potest tamen determinatè consecrare unam tantum medietatem hostiæ, cum linea aut superficie ipsam

ARTICULUS III.

Quid sit praesentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, & ad quod praedicamentum pertineat?

DE fide certum est, corpus Christi verè, realiter, & substantialiter, post consecrationem esse praesens sub speciebus, ut definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & nos supra disputatione proximali, pluribus Scripturae, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, contra Calvinistas ostendimus. Verum quid sit haec praesentia sacramentalis, & ad quod praedicamentum pertineat, difficile explicari potest, unde circa hoc varia sunt Authorum placita. Aliqui enim asserunt, talem praesentiam esse relatione extrinsecus advenientem, ex eo quod totum illius esse est ad aliud se habere, scilicet contineri à speciebus. Ita Scotus & eius Discipuli. Alii censent praesentiam sacramentalem esse actionem reproduciblem corpus Christi sub speciebus. Alii volunt esse actionem quam Christi corpus exercet in species ut instrumentum physicum divinitatis, eas conservando, & in suo esse continendo; existimant enim talem praesentiam esse similem illi quam Angelus habet ad corpora, quae formaliter consistit in actione, qua Angelus continet corpora. Ita docent quidam Recentiores, quos, suppresso nomine, citant Suarez, & Nunno. Alii, ut Suarez, & Aravius, dicunt praesentiam illam esse modum quandam accidentalem, ad praedicamentum ubi reducendum. Denique Nunno, & alii Recentiores Thomistae, concedunt quidem talem praesentiam esse modum quandam corpori Christi superadditum, sed asserunt illum non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque reductivè pertinere ad praedicamentum substantiae, non verò ad praedicamentum ubi.

§. I.

Prima pars quaestii triplici conclusione resolvitur.

Dico primo praesentia sacramentalis non est formaliter relatio. 47.

Conclusio est omnino certa, Tum quia effectus formalis relationis non est reddere subiectum in quo est, praesens alicui, sed relatum & dicens ordinem ad illud. Tum etiam, quia cum omnis relatio praesupponat aliquod fundamentum, relatio propinquitatis & praesentiae quam dicit corpus Christi ad species, aliquod fundamentum in ipso supponere debet, quod non potest esse aliud quam ipse modus praesentiae; unde licet praesentia sacramentalis sit fundamentum relationis propinquitatis & praesentiae corporis Christi ad species, non est tamen formaliter ipsa relatio. Sicut licet praesentia localis, quam idem corpus Christi habet in caelo, importet relationem propinquitatis & indistantiae corporis Christi ad caelum, in ea tamen relatione formaliter non consistit, sed in Ubi, quod in eo resultat ex circumscriptione seu circumadjectentia loci.

Dico secundò corpus Christi non fieri formaliter praesens speciebus Eucharisticis, per conversionem substantiae panis in ipsum vel per actionem aliquam qua conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet.

Prima pars patet, quia effectus formalis actionis productivè non est constituere terminum loco, sed solum communicare illi esse. Ergo licet actio

I i jii

con.